

que non sine successu urgeri possunt argumenta petita. I. *A mandato Dei* per Prophetam admodum serio de agenda poenitentia ab omnibus incolis adultis & infantibus, a cujus verbis clarissimis & simplicissimis nequaquam recedendum. II. *a collectione equali demandata* ad publicum coetum, in quo & verbum Dei legale atque Evangelicum prædicari & poenitentia excitari, ut & adultis, quibus id datum erat, per verba & alia externa indicia demonstrari debebat. III. *Ab equalitate calamitatum*, quæ sicut infantes, æque imo sensibilius quam adultos feriebant, ita ab his etiam medelam poenitentiam requirebant. Ubi enim imminet & præsto est poena, ibi aliud remedium præter poenitentiam non datur. IV. *Ab equalitate intentionis divinæ & demandatæ collectionis* infantum ad congregationem publicam, volebat enim horum quoque & quidem principaliter misereri, ut ex aliis exemplis, speciatim Ninivitarum patet. *Jon. IV, 11.* Ubi vero Dei miseratio, ibi ante omnia a Spiritu S. expeditur operatio poenitentia. Hæc & alia momenta ex ipso hoc oraculo fluentia rem satis dilucidare possunt.

§. XVI. Si alia desiderentur, non pauca erunt præsto. Urgeri potest I. *Indoles fidei salvificæ*, quam natura antecedit, tempore interdum sequitur contritio, ubi vero hæc duo, ibi conversio, ibi poenitentia, quamvis latens in occulto. Placet locus ex LUTHERO allatus ab AFFELMANNO ad fidei infantum naturam demonstrandam, qui huc etiam spectat: *Quid hoc mirum est Spiritum S. in Infantibus esse efficacem eo modo, quem nos non intelligimus. Cum habeant vitam carnem & ossa, non tamen aluntur in utero eo modo, quo nos, qui in hac luce vivimus, alimur. Nobis non intelligunt, nobis mente ac sensu dicuntur carere, sed Deo non sic, cujus opus sunt. p. 846.* Si creaturis tribuatur gemitus, si clamare dicuntur ad Deum & exaudiri triticum & terra, *Hos. II, 21.* quæ non nisi tropice illis tribuuntur, quid ni Infantes in

in